



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 15. Cardinalis Rosarii fata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

IV. Papa dicere solitus erat, quod Cardinalis de Nobilibus aut spiritus sine corpore, aut Angelus in carne esset: insuper apud eundem Pontificem tanta gratia, & auctoritate valebat, ut is, quamvis decimum quartum ætatis annum tunc nondum attigisset, Vaticanæ tamen Bibliothecæ Præfecturam obtineret, quæ alias doctioribus, & antiquioribus semper commendari solet: attamen hac dignitate haud diu potiebatur; quippe die undecima Januarii Anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, ætatis suæ decimo octavo, præmatura morte ereptus fuit. Porro Franciscus Merius Turrigius, qui præclari hujus Cardinalis vitam conscripserat, observat, quod is sola Spinettensi Abbatia contentus nunquam alio beneficio augeri petierit. Hic idem Cardinalis, quamvis in tam juvenili ætate fatis cederet, plures tamen Sanctorum Panychyres conscripserat, quæ in unum volumen collectæ unacum brevi latino tractatu de gloria cœlesti typis editæ prodierunt.

§. XV.

Cardinalis Rosarii fata.

Alter erat Virgilius Rosarius Spoleti Anno Dominicæ Incarnationis millesimo quadringentesimo nonagesimo nono natus,

Sæc. XVI.
A.C. 1559.

Cias. p. 056.

Onuphr. in

Paul. IV.

Vidorel. in

add. ad Cias.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559. natus, isque utriusque juris tam Canonicus, quam civilis scientia clarus ingens sibi nomen comparabat, ac primo Canonicus S. Mariæ rotundæ nominabatur, & postea Iscalensis Insulæ Antistes a Julio III. ac tandem a Paulo IV. Presbyter Cardinalis titulo S. Simeonis mensis Martio Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo renuntiabatur: progressu vero temporis Romanæ urbis Vicarius declaratus, unus erat ex quatuor illis Cardinalibus, qui Pauli IV. jussu causam Joannis Moroni Cardinalis discutere debebant. Verum nonnisi per biennium Cardinalitia fruebatur dignitate; quippe rupta pectoris vena suo suffocatus languine die vigesima tertia Maji hoc anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono animam efflavit: porro cum consiliorum, quæ Paulus IV. clam foverat, potissima ex parte conscius, ac aliunde severioris, duriorisque indolis esset, non raro sese populi odio exponebat; omnium enim, quæ sub Pauli Pontificatu gerebantur, Auctor existisse credebatur. Cum moreretur, annum ætatis suæ egit sexagesimum, sepultusque fuit in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, ubi in marmoreo illius sepulcro ejusdem effigies unacum sepulcrali inscriptione

scriptione visitur. Ceterum vulgo Cardinalis Spoletanus appellabatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

§. XVI.

Trivultii Cardinalis extrema.

Ex Cardinalibus hoc anno defunctis tertius erat Antonius Trivultius patria Mediolanensis, atque ex nobilissima familia natus, quæ tunc temporis sub Leone X. & Clemente VII. duos Cardinales, præter ceteros viros armis, togæque clarissimos recensebat. Antonius matrem habuit Antoniam Barbianam, Patrem vero Hieronymum, qui Ordinis a Francisco I. erecti Eques quinquaginta regiis Franciæ satellitibus præerat, atque in prælio gloriosus occubuit. Porro Antonius, cum jurisprudentiæ studiis sedulam navasset operam, Romam contendit, ubi utriusque, ut vocant, signaturæ Referendarius, ac postea Tollonensis Præsul renuntiatus est, cum hunc Episcopatum ei cederet Augustinus Trivultius Scaramutia ejus Patruus, qui a Leone X. Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo Cardinalium Collegio fuit adscriptus. Perusinam deinde urbem Antonius tanquam Legatus regebat, atque anno Christi millesimo quingentesimo quadagesimo quarto Prolegatus Avenionensis creatus,

Ciac. p. 855.
Pallav l. II.
c. 8. n. 6. c. 9.
n. 1. & 2. c.
10. n. 1. l. 14.
c. 1. n. 6.